

liget, nisi prius optime in *Astronomia* studio fuerit versatus.

*ARS* quoq; *Nautica* tantum humano generi utilis, ac necessaria, nulla ratione fines suos absq; præsidio *Astronomia* digne potest tueri, vt ingenue fatentur omnes *Nautica* artis scriptores.

*ACCEDIT* etiam, quod viris in ecclesiastica dignitate constitutis perneccessaria est *Astronomia*, teste *B. Augustino*, ad congressus, oppositionesq; luminarium, ad mobilia festa, & cetera id genus decus, & statum *Ecclesie* respicientia, exactius discutienda; ob cuius *Astronomia* neglectum factum est, vt a vera sacri *Paschatis* obseruatione, aliarumq; celebritatum mobilium tantum plerumq; exorbitemus, vt *Iudei*, *Turca*, & cetera gentes mirum in modum ignorantia nos arguant; Quod quidem plurimi ac grauissimi *Mathematici* uehementer deplorant: Atq; huic malo *Leo Pont. X.* fertur sæpe remedium voluisse adhibere, si modo tunc temporis eximiorum ac præstantium *Astronomorum* ei copia fuisset, quibus tute curam emendandi *Calendarij*, corrigendiq; potuisset committere. Habet etenim *Astronomia* inter ceteras propemodum infinitas, hanc etiam insignem vtilitatem, quod anni certas metas, & partium anni iustam descriptionem, notatis diligenter æquinoctijs, & solstitijs veris, commonstrat, menstrua spacia definit; dierum noctiumq; vices, intervalla, & quantitates exactissime metitur, atq; distinguit.

*EST* præterea *Astronomia* veluti fons, & origo *Cosmographiæ*; quoniam sine huius scientiæ auxilio descriptio globi terreni, doctrina de locorum intervallis, deq; regionum designatione, & cetera huiusmodi, quæ mirabile ornamentum, simul ac vtilitatem omnibus rebuspub. asferunt, nullo pacto potest perfecte haberi.

*OMITTO*, quod hæc scientia summe est necessaria ad reipub. administrationem, vt ad agriculturam, ad bella gerenda, & alia huiusmodi; Cuius rei multa nobis exempla historia proponunt. *Sulpitius* enim ob scientiam eclipsis lunaris, quæ solum in *Astrologia* edocetur, ingenti metu exercitum totum liberasse perhibetur; Quod idem de *Pericle Atheniense*, nec non *Dione Siciliae rege* testantur historici. At vero *Nicias Atheniensium imperator* ob huius rei ignorantiam metu percussus classem portu educere non est ausus, haud paruo reipub. *Athenensis* incommodo, & iactura.

*NEQUE* vero prætereundum est, quod non ita multos ante annos